

*Cogitationes*

*De*

*Poëmate Prosaico,*

---

*Quas*

*Suffrag. Ampliff. Facult. Philos. in Reg. Acad. Aboënsi,*

*Præside*

*M. HENRICO GABRIELE  
PORTHAN,*

*Eloqu. Professore Reg. & Ord. Reg. Acad. Litt. Human.  
Hif. & Antiquitt. Membro,*

*Pro Gradu*

*Publice examinandas fiftit*

*ADOLPHUS KELLANDER,*

*Satacundensis,*

*In Auditorio Minori die XV Junii A. MDCCXCH,  
H. A. M. C.*

---

*ABOÆ, Typis FRENCKELLIANIS.*

3

Patented 1870

MADE IN GREAT BRITAIN

ADOLPHUS W. B. & CO.

10, SOUTH STREET, NEW YORK

H. A. M. C.

MADE IN GREAT BRITAIN





§. I.

Cum in Carminibus pangendis, accurata metri observatio, tantas habeat difficultates, ut pauci recentiorum Poëtarum eas feliciter adeo superare valuerint, ut hac laude cum veterum Romanorum imprimisque Græcorum vatibus possint comparari, (cujus tamen rei ratio, non in hominum ingeniis, sed in minori hodiernarum linguarum melodia quaerenda est); vincula, quæ metrum scriptoribus injicit, abjicienda, svavemque quam hoc auribus parit voluptatem prorsus spernendam esse, nonnulli auctores contenderunt. Poëmatis igitur nomen operibus etiam soluta oratione confectis, modo interioribus carminis virtutibus pollerent, tribuendum esse, autumarunt.

Cujus generis inter Epica Poëmata *Telemachum* FENELONII, multaque alia in aliis generibus, exempla præbere, docuerunt (a). Inprimis Germanis, post edita a GESNERO egregia hujus generis specimina (b), res esse extra controversiam posita videtur, Metrum ad essentiam (quam dicunt) Poëmatis non pertinere (c), autumantibus.

A

Præ.

---

(a) Cfr. *Dictionnaire Encyclopedique*. Art. *Poëme en Prose*.

(b) *Der Tod Abels, Daphnis, Der erste Schiffer, Idyllen* &c. Vid. *Ejus Schriften*.

(c) SULZER, *Allgem. Theorie der Schönen Künste*, voc. *Prosa*: Es ist verschiedentlich darüber gestritten worden,



Præcipue vero Dramata, ac maxime Comœdias, metro non solum carere commode posse, sed etiam debere, multi putarunt (d); cum enim in his vita hominum privata depingatur atque imitatione exprimat, sermonem ad similitudinem vitæ quotidianæ proxime accedentem adhiberi oportere, adeoque versuum improbabilem illam formam abjiciendam esse, urserunt. Quod consilium hodiernarum gentium mature secuti sunt Poëtæ non pauci, hodieque passim sequuntur (e).

Veteribus autem hæc ratio atque Doctrina adeo fuit incognita, ut ne unicum quidem tentaminis hujusmodi apud eos vel exemplum vel vestigium, reperire liceat.

Ac

(non sane apud veteres!) ob irgend einem prosaischen werk der name eines Gedichts mit recht könne begehrt werden. Ist ist die frage fast durchgehends entschieden, und niemand weigert sich, unsern Gesner, dessen werke fast durchgehends in Prosa geschrieben sind, unter die Dichter zu zählen. Cfr. Ib. voc. Gedicht, & ESCHENBURGS Theorie der Schönen Wissenschaften, Poet. §. 1, 2, 3, & Ejusd. Anmerk. zu HURDS Comment. und Anmerk. über Horazens Episteln an die Pisonen und an den August, &c. II B. p. 309.

(d) Exempla, vel e laudato nuper Cel. ESCHENBURGII libello (Theorie und Literatur der Schönen Wissensch.) ubi diligenter recensentur, (Lustspiel §. 17 -- 20. cfr. Trauerspiel §. 17 -- 20; Danorum, Svecorum, Polonorum & Russorum conamina prorsus ignorat!) peti possunt: maxime vero e CAROLI FRID. FLÖGEL Gesch. der Römischen Litterat. (Liegn. und Leipz. 1784, 85, 8:0).

(e) Cfr. ESCHENBURG I. c. Lustsp. §. 12, & Trauersp. §. 13.



Ac quamvis minime negemus, nobis quoque videri, Comœdias, & medium illud genus quod vel Tragœdiam privatam (Tragedie Bourgeoise) vel Comœdiam mœstam (Comedie larmoyante?) appellare instituerunt, apte omnino commodeque profaica oratione scribi posse; tamen neque ideo vel Comœdias metricè scriptas laude sua carere, neque cetera Carminum genera metri hac virtute atque ornamento sine magna jactura privari posse, dare possumus. Qua de re, dum sententiam nostram paucis explicaturi sumus, speramus conatum nostrum, summorum virorum totiusque adeo antiquitatis judicium defendere tentantium, mitem benevolamque Lectoris Candidi experturum esse censuram.

§. II.

Quibusdam viris doctis (ut significavimus) omne metrum a naturali linguæ habitu longius recedere videtur, quam ut laude hominum præjudicatis opinionibus sese regi non patientium, dignum sit censendum; qui hoc more verba contorte adhiberi atque perturbate transponi, sensumque sic non posse non obscurum fieri, queruntur; eandem coactionem impedire arguentes, quominus verbis aptissimis atque selectissimis ubique uti liceat ad sensus nostros optime exprimendos atque ideas accuratissime depingendas, inprimis pertinentibus. Hinc, si aliqua etiam laus metri suavitati sit tribuenda, ejus tamen observandi studio effici ajunt, ut aliis stili virtutibus longe præstantioribus, simplicitati nimirum naturali, claritati, venustati, atque ponderi, persæpe renuntiare Poëtæ cogantur. Ita Dn DE LA MOTHE judicavit, modoque parum digno summos patriæ suæ Poëtæ Dnn. *Corneille, Racine & Despreaux*, taxavit atque irrisit; habetque etiam



hodie suffragatores non paucos, inter eos maxime, quibus vel natura exquisitius aurium iudicium denegavit, vel studiorum ratio Poëtarum veneres minus reddidit familiares. Horum errorem, atque vel infelicitatem vel inficitiam vel foecordiam, opus non est ut multis castigemus; quod omnes huiusmodi argutiæ, ubi carmen aliquod felix atque egregium legis audisve, illico evanescunt & ex animo defluunt. Num vel elegantiam, vel perspicuitatem, vel venustatem, vel vim, in HOMERI præclarissimorumque suorum successorum carminibus desideras? Num coactionis, affectationis, atque omnino tædii sensu (nisi ad omnem pulcri sensum plane occallueris), ea pervolvens opprimeris? Vides igitur, metrum, ubi veri nominis Poëta opus aggreditur, ingenio ejus vincula inimica haud injicere. Nolito autem ex tironum, aut scriptorum inertium obtusiorumque frustraneo sudore, summorum ingeniorum vires astimare! Verum quidem est, in carmine egregio concinnando, multum esse laboris, etiam ingenii præstantissimis consumendum; quare longioris temporis diligentiam immortalibus summorum vatum carminibus esse impensam novimus, ac HORATIUS diuturnioris constantiam laboris, Poëtis, ut valde necessariam commendat (a). Sed difficultates, quanto sunt plures ac majores, tanto majorem, ubi feliciter superatæ sunt, voluptatem pariunt: ac eadem vincula, quæ molestiam sæpe non exiguam Poëtis creant, attentionem simul eorum, diligentiam, ingenii vim atque ἐνέργειαν exaltant & intendunt, ac ad multas novas, exquisitas, admirabilesque imagines & sensus reperiendos, incitant. Qui porro meminerit, in prosa etiam oratione solenniore, pulcriore & sub-

---

(a) *Art. Poët.* v. 289-294; cf. v. 385-389, & v. 438-450.



sublimiore, verba ad aurium satisfaciendum sensui voluptatque harmoniæ indulgendum, rhythmici seu numeri, atque omnino compositionis suavitate adhibenda, exquisitiore atque a prosaico more plane diverso collocari ordine, eamque ipsam libertatem vehementer ad laudem eloquentiæ augendam conferre; is, quam vane de perturbatis in carmine per metri studium quotidianæ consuetudinis legibus exoptuletur, facile intelliget. Ac quamvis non negemus, cum plures & internæ & externæ virtutes ad Poëma præclarissimum & omni numero perfectum efficiendum pertineant, una licet aut altera earum deficiente, opus tamen haud contemnendum plane, nec meritis laudibus fraudandum, confici posse; simul tamen urgemus, imperfectius hoc, certoque respectu mancum conamen nequaquam perfecto illi absolutæ artis operi esse æquiparandum, aut pari cum illo esse laude ornandum, neminemque fore negaturum putamus, quin, si metri suavitas atque mire fascinans animos oblectatio cæteris laudibus accedat, (quam addere a summorum ingeniorum facultate minime esse alienum, experientia loquitur) præstantius adhuc absolutiusque poëma existitum sit (b). Quod mihi demonstrare simul apertissime videntur,

A 3 tur,

(b) Ipse SULZER l. c. (Voc. Prosa) hoc idem fatetur. Freylich inquit, fehlet es dem schönsten Prosaischen Gedichte noch an einer vollkommtheit; und man empfindet den mangel des verses desto lebhafter, je schöner man das übrige findet. Nonne igitur recte alicubi ingeniosissimus VOLTARIUS, Poëma prosaicum vocat *confessionem imbecillitatis suæ* (un aveu de son impuissance)? Si mavis, metri neglectum ignaviæ aut defectui otii &c. adscribere, non repugnabimus; dummodo man-



tur, metrum ad *essentiam* (perfecti h. e. veri) *Poëmatis* utique pertinere. Cum enim de opere quæritur, cujus finis, adeoque summa laus, ad voluptatem liberalem mentibus humanis pariendam tota spectat, (id quod nec adversarios nostros esse inficiaturos speramus); ea omnia ad *essentiam* ejus pertinere existimamus, quæ ad finem hunc feliciter attingendum in quocunque genere efficaciter conferunt, & quibus neglectis minor voluptas, quam si adessent, animis hominum adfertur (c). Alias nescio quæ Poëma-

---

cum ac imperfectum esse opus concedas. Poëmatis tamen nomen laudemque dubio etiam huic atque hybrido, sive mixto ex utroque genere orationis operi, abjudicari non vult SULZERUS l. c. (Voc. Gedicht) scribens: Hieraus ist also klar, daß der regelmäßige Vers, nachdem die Poesie zur Kunst geworden, bey jedem Gedicht sich finden sollte, jedoch der Mangel desselben, wenn nur sonst der Character des Gedichts vorhanden ist, es von den Werken der Dichtkunst nicht ausschliesse. Quæ, nonne repugnare quodammodo inter se videntur? Ac nonne ad ista conamina applicari, haud omnino injuste, Poëtæ Angli descriptio queat?

*Unfinis'd things, one knows not what to call,  
Their generation's so equivocal.*

(c) Vid. quæ egregie in hanc rem disputat doctissimus HURD, l. c. I Abhandl. p. 10 - 17. Nec videtur nobis facis luculenta distinctio Cel. ESCHENBURGHII, qui in supra laudatis ad eundem *Hurdii* librum animadversionibus, contra hujus auctoris, consentientem nostræ sententiam disputans, dicit (p. 309): Natürlich ist dieser letztere (der Vers) der Poesie allerdings; aber Wesentlich wohl nicht. Denn der Begriff der Poesie über-



matis laus, si reliqua cumulatissime adsint, una abesse si-  
 militer nequeat, & opus tamen egregium atque iucun-  
 dum existere; totaque sic controversia in logomachiam  
 parum decoram abibit. Nobis, in idea facultatis poeticae  
 (æque ac oratoriæ) formanda, summa ejus perfectio ani-  
 mis objici debere videtur, ad quam attingendam, tan-  
 quam ad rectissimum operis sui exemplar, omne Poeta-  
 rum studium tendat; a qua si discesseris, ac quoniam mul-  
 ti sunt inter prosaicam orationem & summam carminis  
 laudem gradus intermedii, (finibus vix discernendis tan-  
 dem confusi), hos omnes definitione tua comprehende-  
 re

haupt (& satis arbitrarie, & satis vage atque obscure  
 illa definita!) schließt ihn Einesweges in sich. Ac quod  
 ibidem sensus tristiciæ, terroris &c. per Tragœdias  
 excitatos, sensibus lætis & jucundis ita opponit, ut  
 eos voluptatem gignere neget, mirum nobis videtur;  
 qui enim hujusmodi Tragœdias spectandi studio du-  
 citur, num is vere ac serio vexari, angî atque affli-  
 gi cupit? Nonne illos ipsos sensus, voluptatis inde  
 percipiendæ causa, appetit? In quo phanomeno ani-  
 mi humani explicando, ab *Aristotelis* usque ævo,  
 Philosophi defudarunt. Quod in genere Dramatico  
 reliquas virtutes cum metro feliciter conciliari om-  
 nino non posse, contendere videtur; neque id de-  
 monstrandum in nos recipimus; sed metrum minus  
 luculentum atque rigidum (môrè Græcorum Ro-  
 manorumque, cui versibus adhibendis *ὁμοιοτελέτοις* ca-  
 rentibus, *Blanc-verses*, recentiores Itali, Angli, Ger-  
 mani acceperunt) quam in plerisque aliis carminum ge-  
 neribus, (Epico, Lyrico &c.) in illo præferendum  
 esse, libenter agnoscimus. Rem pluribus hoc loco  
 persequi, proposita vetat brevitatis.



re institueris, nescio quæ tandem constans & essentialis notio Poëmatici constituenda sit (d)? Imperfectiora vero & manca ex aliqua parte conamina, si illa quoque, laxiore & severa minus notione sumto vocabulo, vocare poëmatica placet, non quidem intercedemus; sed ita, ut non tam ex jure, quam ex indulgentia, hunc iis honorem tribui, nec tam laudem quam exultationem, inferius hoc atque imperfectius genus mereri, agnoscat.

§. III.

Sententiæ nostræ veritas, ut eo luculentius pateat, ad ortum atque natales Poëseos animum referamus. Quis ne-

---

(d) Difficultatem ipsi agnoscunt SULZER & ESCHENBURG l. l. c. c. Quorum ille (voc. Gedicht) *Orationem* & *Poëma* vocat *Werke*, die mehr durch Grade als durch wesentliche Kennzeichen in verschiedene arten abgesondert werden. In dergleichen dingen aber, acute addit, lassen sich die gränzen, wo die arten aufhören oder anfangen, nicht unterscheiden. Wer kann das jahr angeben, wo der Jüngling zum Mann, und der Mann zum Greis wird? Hinc autem nos colligimus, notionem Poëmatici ex præcipuis & luculentis maxime generibus esse formandam; reliqua, ut incerta vel intermedia, in communi generis idea constituenda prætermitti debere; sicut in ætate vel puerili vel virili definienda facimus. Notionem Poëmatici, qualis præeunte BAUMGARTENIO a laudatis duumviris (quorum ille, s. SULZERUS, imperfectionem definitionis agnoscens, illam emendare conatus fuit) constituitur, severum examen sustinere non posse, recte observat MEINERS, Grundriß der Theorie -- der Schönen Wissensth. C, XII §. I.: quod ita nobis semper visum fuit, qui obscuritate & ambiguitate non parva illam laborare, putavimus.



nescit, non modo memoriæ adjuvandæ atque sublevandæ causa, leges quasdam atque vincula fuisse Carminibus mature, apud omnes fere gentes, injecta, sed *Cantus* quoque & *Musica* cum iis conjungendi studium, (ingenio humano illud etiam naturale (a)), metri quoddam genus ita iis proprium atque necessarium reddidisse, ut neque ideam aliquam Carminis oratione soluta compositi, homines sibi formare olim possent? Jucundum igitur hoc inventum, naturæ ipsi humanæ debitum, ac ab arte deinde expolitum (b), totque summæ præstantiæ ac laudis

B exem-

(a) Vid. SULZER l. c. VOC. Musit.

(b) Pulcre hanc rem explicat laudatus supra HURD; qui p. 11 scribit: Sie (die Poesie) hat überall den allerfrühesten Ursprung, und entstand eher, als jede andre Schreibart. Da sie für das Gehör bestimmt war, das heißt, entweder gesungen oder recitirt zu werden; so bequemte sie sich sogleich in der ersten ungebildeten Versuchen nach jenem Gefühle des Sylbenmaasses und verhältnisses in den Tönen, welches uns so natürlich ist. Die Aufmerksamkeit des Zuhörers wird hiedurch eher gewonnen, seine Unterhaltung beschleunigt, und seine Bewunderung gegen die Kunst des Dichters erregt. Der Mensch mag gar zu gern gefallen, und ist daher sinnreich, dasjenige immer weiter zu treiben, wovon er bemerkt hat, daß es leicht gefällt. Musikalische Schlussfälle und harmonische Töne, welche die Natur eingab, wurden daher durch die Kunst immer mehr gemildert und verbessert, bis die Poesie eben so entzückend für das Ohr wurde, als es die Bilder, welche sie darstellte, für die Einbildungskraft sind. In der Folge ward dasjenige, was anfänglich ein Produkt des Genies und der Leidenschaft aus dem stegreife



plis, ab incunabilis fere suis carum redditum & quasi consecratum, non erunt facile passuræ sequentes generationes, ut contemnatur, aut ut orbata eo carmina, palmam veteri mori laudemque, dubiam reddant. Quibus leviter disputatis, scriptoris præclari tandem judicium addimus (c):

“*M. De la Motte* & d’autres ont soutenu, qu’il pouvoit  
 “y avoir des *Poèmes en Prose*. Mais on leur a répondu,  
 “comme il est vrai, que la *Prose & la Poësie ont eu de tout*  
 “*teins des caractères distingués*, que la traduction en prose d’un  
 “Poème n’est à ce Poème que ce qu’une estampe est à un  
 “tableau, elle en rend bien le dessein, mais elle n’en ex-  
 “prime pas le coloris, & c’est ce que Madame *Dacier*  
 “elle-même pensoit de sa traduction d’Homere (d). Le  
 “consentement unanime des nations appuie encore ce sen-  
 “timent - - - - Le songe de Scipion, quoique fiction très-  
 “no-

war, unter der leitung eines natürlichen gehörs, eine arbeit des Studierzimmers, nach regeln der Kunst ausgeführt; und doch noch immer mit einer geheimen beziehung auf den sinn des Gehörs, und auf diejenige aufnahme, welche melodische Töne in der lauten herfagung ausdrucksvoller worte finden.

(c) *Diction. Encyclop.* Art. *Prose*; qui ab haud paulo meliore harum rerum auctore ac arbitro concinnatus est, quam ille alter, supra a nobis citatus, §. 1. not. (a).

(d) Quam sane difficile est, sine oboriente passim tædii & defatigationis sensu perlegere; non toto tamen illo suæ culpæ debito, sed partim stili quoque hujusmodi, ut nobis quidem videtur, in univèrsum indoli, adscribendo,



“noble, écrite en style poétique (e), ne fera jamais met-  
 “tre le nom de Ciceron parmi ceux des Poètes latins,  
 “de meme que parmi ceux de nos Poètes François, nous  
 “ne mettons point celui de *Fenelon*. - - - - La preten-  
 “tion de M. de la Motte a eu le sort des paradoxes mal  
 “fondés; on en a montré le faux, & l’on a continué à  
 “fai-

(e) Nostro quidem sensu, egregium hoc scriptum (s.  
 fragmentum) ab indole orationis prosaica diligentio-  
 ris recedere haud videtur; a culpa scilicet hujus generis  
 committenda, accuratum atque exquisitum auctoris  
 judicium longe eum arcuit: at simul fatemur, stilum  
 vere poeticum in oratione prosa adhibitum (etiam  
 ubi poematis nomen talibus scriptis tribuitur) si pau-  
 lo longior fuerit, satietatem quandam atque fastidium  
 nobis creare, quod metri suavitatem, varietatem & ha-  
 bitum accedente, haudquaquam oboritur. Confusio ge-  
 neris utriusque inconsulta, semper sese in his prode-  
 re nobis videtur; quorum diversam indolem exponere nunc  
 non vacat: cfr. SULZER l. c. voc. Gedicht, Poetisch,  
 Ton &c. Excipimus semper Dramata, quotidiana ad-  
 umbrata vitae consuetudinem studentia; quorum sti-  
 lus, versu etiam notabilis, tenue tamen genus ex-  
 cedere haud debet. Sed ut Epistolae stilum Poeticam,  
 a Prosaica illo valde diversum (etiam ubi metrum  
 non attendimus,) amamus; ita narrationis (in Apolo-  
 go, in genere Heroico &c alium omnino habitum  
 in Poemate, alium in scripto prosaico requirimus:  
 quem si non invenimus, alienum ornatum suaeque  
 personae non convenientem induisse, oratio nobis  
 videtur; expectationi nostrae non satisfacit, atque de-  
 fectu aliquo & generum confusione, menti cito sen-  
 tiendae, hanc vexat.



«faire de beaux vers & à les admirer (f)». Sed manum de tabula.

(f) Nihil hoc argumento erit potentius, ad dubium illud atque mancum genus eliminandum, studiaque & æmulationem feliciorum ingeniorum, ad vera poemata pangenda convertendum. Quare speramus, apud Germanos quoque (ut apud reliquas gentes factum scimus,) novitatis illecebra pereunte, paradoxos hosce foetus laudem perdituros; quibus gignendis præclarum *Gesneri* ingenium fuisse insutum, dolemus. Nostros autem hortamur, ut omnino ad talia conamina operam suam non divertant, summam & constantem laudem haudquaquam paritura. De *Fabularum* autem *Milesiarum* vel *Romanensium* genere, Poëmatibus (sic dictis) his prosaicis cognato, quod tempore ortum esse constat quo bonæ litteræ flore suo orbata, minus favente utebantur fortuna, diligenter & graviter judicat HURD l. c. p. 17 sqq. Cui generi (multoque minus poematibus) nec consilium, nec stilus &c. annumerare permittunt XENOPHONTIS *Cyropædiam*, aliaque talia scripta; in quibus nec orationem nec habitum &c. affectare Poëticum omnino decet.

